

Quod DEUS TER OPT. MAX. bene veritat,
SEQUENTIA ad tit. D. & C.

1617, 2

AT

DE LEGE AQUILIA,

Item tit. Decretall.

DE INIURIIS ET DA= MNO DATO,

THEMATA

*Amplissimo Juridica Facultatis in almâ Viadrinâ
Ordine decernente*

SUB PRESIDIO

Clarissimi Consultissimiq; Viri, Dn.

MATTHIÆ POLENII

U. J. D. & P. P. Serenissimo Electori

Brandenburgico à Consilijs, & Facula

tatis p. t. VICE-DECANI,

Germani honorandi

Pro Doctoratus in utroq; Jure gradu
consequendo

*In Jctorum auditorio frequenti
publica disquisitioni*

ad d. 18. mens. Septembr. ab hora 7. ANNI 1617.

submittit

PETRUS POLENIUS, NISS. SIL.

In illustri Schönaichiano Jurium

destinatus Professor,

—:—

Exscripsit JOANNES EICHORN.



DEO PRÆVIO.

THESIS I.



Em non inanem facturum me arbitror, quia de *Lege Aquiliâ & Damno iniuriæ*, casus non rarò in vitâ communi contingunt, ita, ut damnis ejusmodi nihil ferè frequentius; si de ijs *Deu-
κω* disputandi causâ paucula quædam, & breviter, perstrinxero.

II.

Quo in genere primum occurrit Auctor legis, qui fuit *Aquilius*, Tribunus plebis, quo rogante Plebiscitum hoc antiquissimum, Legis robur & nomen obtinuit, & à Quiritibus Legis instar custoditum.

III.

Habet & Lex primordia ex LL 12, tabb.

IV.

Exstant deinde Juris hujus vestigia in Lege sacrâ Mosaica.

V.

Legis hujus tota causa *Damnum* est.

VI.

Nam si melior res fiat, aut pretiosior, *Aquiliæ* locus non est. Ideò si Uvas, segetemvè maturam quis secuerit, aut alio modo profuerit magis, quàm nocuerit, immunis erit; cum operas, aut etiam impensas insuper donasse, officij magis sit, & liberalitatis, quàm damni.

VII.

Nisi fortè, ut interciperet, secuit, tùm enim furti tenetur.

VIII.

Sic qui annulo gemmam inserit, aut aliâ Utilitate commodat, non damnum dedisse, sed profuisse putandus est.

Aqui-

IX.

Aquilix consideratio tribus olim capitibus terminabatur, quorum secundum quia obsolevit, Primum & Tertium in usu hodiè remanserunt,

X.

Quæ duo eo tantum differunt, quod alterum de *Occisione* agat, alterum de *Vulneratione*; quâ de causâ & diversâ coërcitione castigantur.

XI.

Cavetur primo capite; *Qui servum, servam vè alienum, alienam vè, quadrupedem vel pecudem injuriâ occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum es dare damnas esto.*

XII.

Tertij capitis verba hæc sunt: *Ceterarum rerum, præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quid vè Ufferit, fregerit, ruperit injuriâ, quanti ea res erit in triginta diebus proximis, tantum es dare damnas esto.*

XIII.

Patet igitur L. Aquiliam damni esse persequutoriam, qualiter-qualiter injuriâ aut culpâ illati, ad justam rei æstimationem, & pluris.

XIV.

Damnum interpretor qualemcumq; demintionem patrimonij, ut Jctus loquitur, aut ademptionem. Sic enim & à demo dicitur.

XV.

In nostrâ causâ signat omne id, quo alteri per alterum nocitum est, quod absit scilicet facto hominis vel injuriâ, quod præter culpam ejus intervenientem in-violatum adesse debebat, & poterat.

XVI.

Non simpliciter ergò Damnum in consideratio

A 2

nem



nem venit, sed illud, quod injuriæ est, quod cum Damno
scilicet injuriam attulit.

XVII.

Damnum Fatale, aut quod per Naturam contigit,
hic non advertimus.

XVIII.

Notandum hic, quod Damnum & Utilitas, seu
quodvis Interesse, ita mutuâ *αέσει* seu relatione à se de-
pendeant, ut Damnum aliud nihil sit, quàm prærepta
Utilitas, prærepta Utilitas nihil, quàm Damnum.

XIX.

Furtum, Rapina, etsi non minus damnum faculta-
tibus & jacturam inferant, separata tamen eorum cau-
sa est.

XX.

Videamus, qui Damnum dent. Dat. verò ille Da-
mnum; qui id facit, quo injurius est, & culpâ nocere non
cavet.

XXI.

Sic Homo liber, cujus in Aquiliâ potissima causa
est, qui injuriâ occidit, aut nocuit, etiam cum noluit,
damnum dedit.

XXII.

Idem in eo, qui providere potuit, nec fecit.

XXIII.

Servus non aliter deliquisse creditur, nisi sciente
domino id fiat; ut, si cum posset Dominus, non prohi-
bit, qui & ideò Aquiliâ pulsatur.

XXIV.

Ob rationis indigentiam in Aquiliæ judicium Fu-
riosus non venit.

XXV.

An qui inumbratæ quietis est? Dici videtur, per fu-
roris intervalla & delinquere posse, & non delinquere.

XXVI.

Tantæ verò injuriæ Infantem involvi æquè verosi-
mile non est.

Id

XXVII.

Idemq; in impubere obtinet nisi tamē injuriæ idem
& doli capax sit.

XXVIII.

Generaliter, Culpe Reus esse non potest, qui suæ sa-
næq; mentis non æstimatur.

XXIX.

Corpora Inanimata, ut si tegula occidat, si plostra
collidant, si naves invicem se obruant, injuriam quoq;
committere creduntur; vel saltem Impropiè.

XXX.

Tenentur tamen nihilominus illi, quorum culpa
quoquo modo hîc nocitum est.

XXXI.

Contingit Damnum in servo, aut Pecudibus, si occi-
dantur; Et hoc primum caput Legis est.

XXXII.

Si Res præter hominem aut pecudem vulneretur,
Ut si quid ustum, fractum, ruptū sit injuriâ; id est, quo-
quo modo corruptum, æquè damnum est. Et de hoc
providit Tertium caput Legis nostræ.

XXXIII.

Quæritur, Tabulæ, Chirographa si perversè deleta
sunt, an Aquiliæ dabitur actio? Distinctione res expe-
dienda est.

XXXIV.

Non omittendum: An, si quid malè mistum sit, aut
inquinamento aliquo adulteratum, vel alio modo spur-
catum, effusum, Aquiliæ vis eò se extendat? de eo in dis-
cursu patebit.

XXXV.

Si vestis scissa, inquinata sit, Aquiliæ locus est.

A 3

Sarto-

XX XVI.

Sartorē, vestem parando, si malè rem gerat, & Aquilix conveniri posse, & ex locato ex negotij causa satis constat.

XX XVII.

Infertur porrò Damnum *Injurià* ab homine, quæ contumelia nostro sensu non est, sed actio quædam damnabilis, culpâ damnum inferens.

XXXVIII.

Quo nomine & Jctus definit, damnum culpâ datum.

XXXIX.

Quæ Injuria & Culpa ita unitæ sunt, ut neutra sine alterâ consideretur, sed concurrat utraq;, & sine ijs damnum contingere non credatur.

XL.

Signat ergò Injuria omnem omninò culpam, Latam, Leven, Levissimam.

XLI.

Inde qui quovis modo nocuit, Aquilix noxæ se implicuit.

XLII.

Quod vel hinc patet: quia & is Aquilix se obstringat, qui vel nocere noluit, imprudentiâ tamen levi lapsus admisit.

XLIII.

Negligentiam, quia Culpæ quasi mater, & nutrix, cum & à dolo quandoq; non aliena sit, Aquilix imperio coerceri extra omnem controversiam est.

XLIV.

Non minus *Imperitiam*, cum & ipsa culpæ annumeretur, quod ipsum multis Juris constat textibus, eodem flagellari judicio maximè in propatulo est.

XLV.

Tantum verò prospexerunt Imperitiæ, quæ alibi Inscientia dicitur, Jura nostra, & Doctorū consensus, ut vi Generalitatis ad quodvis artificij vel exercitij genus exten-

extendatur, ne Imperitiã scilicet damnum eveniat, etiam usq; ad caprarum & vitulorum custodem.

XLVI.

Cavere tamen sibi quandoq; artifices solent, ne suo periculo res sit, maximè si materia non sit admodum tractabilis.

XLVII.

Incurrit Aquiliã Medicus, qui dextrè satis curatione suã defunctus non est, & aut incuriosè, aut segniter, aut non secundum artem, medicamenta adhibuit. Cæterum si sub specie medendi noxia propinavit, mortis supplicio destinatur.

XLVIII.

Excusatur tamen, si quod artis erat, præstitit, nec mortalitatis eventus illi imputatur.

XLIX.

Simile in Obstetricibus, si æquè intempestivo medicamento puerperas enecarint.

L.

Æquè committit, qui vi aut suasu medicamenta nociva suggestit.

LI.

Circulatores Medici & Impostores, quã pænã afficiendi, si noceant, pro causã, ex quã jus, metiemur.

LII.

Infirmitas, quia culpæ non expers, iisdem, quibus priora, regulis constringitur.

LIII.

Nisi tamen superveniat, cum enim causa cesset, jam relevare credendum est.

LIV.

Immodica Castigatio, sive mavis, *Sevitia*, ab hac classe segreganda non est, cum duret ratio. Nam qui durius discentem habet, licet injuriæ causã fecisse non præsumatur, castigationis tamen limites excessit; Jdeo sine culpã non est. Et



L V.

Et tam locati actione, quam Aquilia agi hoc casu potest: Nam alterius optio est, non injuriarum.

LVI.

Casus fortuitus, quia saepe praevirti humano consilio avertive non potest, merito hic exsulat.

LVII.

Quae enim supra hominem sunt, hominis industria non sanantur.

LVIII.

Secus dicendum, si culpa occasione casus quasi emanavit: Tum enim damni Reum Aquiliae subjacere, nemo diffidebitur.

LIX.

Culpa si lata sit, an Corneliae locus erit? Negativa placet.

LX.

Non inepte hic quaeritur; Incendium fortuito natum est, poterat vicinus, ne longius malum serperet flammam vim impedire, an tenebitur, si non fecit? Affirmativae adhaeremus.

LXI.

Doli in utroque; Legis Capite ratio habetur, & puni- tur ut Culpa.

LXII.

Potest tamen de dolo & Aquilia & Cornelia agi; nec alteri per alterum fit praedudicium.

LXIII.

Ceterum culpa infinitis committitur modis ut quotiens damnum emergit (casibus exceptis fortuitis) continuo culpa attendatur.

LXIV.

Sic aestimatur ex Loco; An qui lusibus licitis, ut qui Virtutis causa ineuntur, operam, loco ad luctas vel lusus destinato dederit, & nocuerit, culpa an casus Reus sit,



sit, & qualiter conveniri debeat? Dicimus in causa Jus positum esse. LXV.

In tali loco, si datâ operâ tamen quid perpetratum, sine noxâ admittens non censetur.

LXVI.

Quid si ex adstantibus Errore quis pereat? Dicitur hunc non omninò sublevare.

LXVII.

Sustinetur quandoq; lusus illicitus, per quem noceri potuit, si consuetudine sit approbatus.

LXVIII.

Ideò à pœnâ liber est, qui Consuetudinis innixus privilegio in tali ludo adversarium interfecit.

LXIX.

Nam & hodie verum; Pugiles, dum in publico conflictu se lancinant invicem, ab omni pœna immunes esse.

LXX.

Sic, loco suadente, Putator aut Machinarius si noceant, non proclamando, à pœnâ non excusantur.

LXXI.

De Igne, incendijs, infinita quæri possent, & sunt casus innumerabiles in Jure nostro; nos paucis rem tangemus.

LXXII.

Præsuppono generaliter pro delicti ratione & mēsurâ factum attemperandum esse.

LXXIII.

Cautela tamen sit, si quid metuatur, initio damni infecti cautionem exigi.

LXXIV.

Regulariter verò culpa præsumitur, si casus non probetur.

LXXV.

Pœnas item culpæ gradibus conformari, nemo est qui dubitat.

B

Nam



LXXVI.

Nam in Levissimâ emendationem venire tantum, cum alteras præter damni restitutionem poenæ non leviter aggravent, Juribus maximè consonum est.

LXXVII.

In ordinem voco Commodatarium, qui & ipse de levissimâ tenetur.

LXXVII.

Non æquè Conductorem; Nam hîc de Dolo & Culpa tantum, lata & levi, non amplius, convenitur.

LXXIX.

Levi committentem, præter damni emendationē etiam criminali pecuniariâ coerceri, si item solvendo non sit, corporaliter castigari, à vero alienum non putamus.

LXXX.

Lata reum, præter damnum etiam Capitali poenæ subjicimus.

LXXXI.

Multum tamen Judicis arbitrium hîc operari, poenarum svadere videtur multijuga variatio.

LXXXII.

Jure Sax. Conductitij rotæ adjudicantur, decapitantur ultronei.

LXXXIII.

Consuetudine tamen communi, & experiētiâ in terris nostris vulgariter igne cremantur, quod idem constitutione Carolinâ stabilitur.

LXXXIV.

Quæritur, si inhabitantium multitudo in domo fuerit, ob tantam incertitudinem an quis conveniri possit? Negandum videtur.

LXXXV.

An ergò ex familiae facto Dominus non obligabitur? Regulariter non tenetur, nisi committat circa officium sibi commissum.

Con-

LXXXVI.

Concluditur aliàs, de damno experturum nihil agere, nisi cujus certæ, & determinatæ personæ culpâ incendium ortum sit, satis probaverit.

LXXXVII.

Probatio autem certa esse debet, ut condemnatoria consequatur.

LXXXVIII.

An verò vicinas habitantium ædes periculi metu demoliri impunè liceat, non incommodè tractatur? Affirmativæ non sine ratione adstipulamur.

LXXXIX.

Nec iniqua est ratio, si ædes tali casu dirutæ sint, quod vicini pro communi restitutione sumptus collectando obligentur.

X C.

Illa ratio, quâ incendium intra urbem aut muros ortum pœnam aggravat, hodiè non attenditur, nec pœnæ est differentia.

X C I.

Cessat Injuria in *Defensionis* causa; Eam, ne planè intacta relinquatur, paucis item delibabimus.

X C II.

Qui igitur injuriâ ab alio assultus se defendit, ipse Injuriam non facit: (Injurius enim non est, qui quod fecit, jure munitus fecit) declinare tamen & repellere injuriam omni jure ei permissum.

X C III.

Ideò latronem, furem, tam nocturnum, cum clamoris tamen testificatione, quàm, si se telo defendat, diurnum, ut æquè cum clamore id testificetur, occidere impune licet.

X C IV.

Nam & satis est, si mortis metus quoquo modo interveniat, cum & armorum terror sufficiat.

B 2

Et

XC V.

Et ut Defensio credatur, inculpatæ tutelæ modera-
mina præcisè custodienda sunt, ne Vindicta magis appa-
reat, quàm Defensio.

XC VI.

Quod si modus tamen excedatur, Ordinariæ locum
non fore, puto verius.

XC VII.

Insidiantem interficere an permissum erit? Non o-
mninò à vero affirmativa deviat.

XC VIII.

An fugere sine infamiæ maculâ aggressus poterit?
De Laico negatur, cui omnis fuga ignominiosa.

XC IX.

Ob patrimonij aut rerum defensionem æquè ac ob
corporis tutelam occidi quem posse patet ex thesi 93.

C.

An simpliciter verò rerum tantum habeatur ratio,
an aliud concurrere necessum sit, in disquisitione pa-
tebit.

CI.

Plures si occiderunt cum non apparet, cuius ictus
sit, omnes tenentur.

CII.

Et quidem singuli in solidum.

CIII.

Unde nec si unus satisfaciat, cæteri liberantur.

CIV.

An verò solvens cum alijs negotiorum gestorum
aget? Negandum puto.

CV.

Mitius agitur in rixâ; Nam licet & illic plures de-
linquant, de occiso tenetur tantum percussor, qui le-
thale vulnus intulit; cæteri de vulneribus.

CVI.

Quod si nullum mortale appareat, & junctim omnia
causentur mortē, omnes simul obligari nec absouū est.

CVII.

Si unicum vulnus est, & inter plures unus vulneravit, nec constat, qui sit ille, nullus tenetur; quia de nullo constat. Et cavendum, ne innocens patiatur.

CVIII.

Universitas quod delinquere possit, & puniri *ἐν πᾶσι* videbimus.

CIX.

Pro coronide hujus materiae adjicere placet, quod sufficiat, qualiter qualiter occisum esse, ut sit legi Locus, sive gladio, sive fuste, sive laqueo &c.

CX.

Finis Aquiliae hic est, ut damnum resarciatur, & quod interest.

CXI.

Nam omne Interesse, omnis Utilitas hic reputatur; Ita ut non satis fuerat corporis jacturam venisse in aestimationem; verum & quanti interfuerat, non fuisse occisum in corpus, aut depretiatum.

CXII.

Et quia Poenalis est haec actio, ultra damnum, & injuriam delinquentis, & lasciviam, persequitur.

CXIII.

Nec injuria; Interest enim ne delicta maneant impunita: Etiam in privatis istis, cum damna non admodum enormia sunt; Et lascivia potius peccatur saepe, quam nocendi animo.

CXIV.

Aestimatio damni quomodo ineunda, legibus satis expressum est. Estq; ob Hominem aut Pecudem occisos ex primo Legis capite; *quanti plurimi in anno*: annum ipsum retrorsum metiendo: Unde & retrò oculos habere Aquilia dicitur.

CXV.

Retrorsum sic accipimus, ex quo quis occisus, aut vulneratus est.

B 3

No-



CXVI.

Notandum *pluris* æstimationem anno finiri; licet rei damnivè persequutoria perpetua sit.

CXVII.

An in futurum fiet æstimatio? In nostrâ causâ negamus.

CXVIII.

Num artificij in æstimatione habebitur ratio? Affirmandum putamus.

CXIX.

An operarum? In considerationem venire ex Legis naturâ extra dubium est.

CXX.

Ex secundo Legis cap. ob læsionem vulgarem æstimatio fit, à damni dati tempore, *quanti triginta diebus proximis.*

CXXI.

Effectum pono Jus, sive actiones persequendi damnum.

CXXII.

Quas quidem, quia damni & pœnæ persequutoria simul, *Mistas* esse, nemo facilè inficias iverit.

CXXIII.

Competunt autem actiones in casu Aquiliæ *Directa* ex verbis Legis.

CXXIV.

Utilis, quæ aliàs in factum Civilis, ex Interpretatione.

CXXV.

In factum Pratoria, ubi deficiente directa & utili Pretorem subvenire, æquitas aliqua exigit.

CXXVI.

Cæterum quia infinitum foret, Casus singularum acti-

872
actionum exemplificando ponere, facti species monebit; ad quam actionis formam illi referendi sint.

CXXVII.

Datur actio Domino, cui Lex damna salva esse voluit: aut Ei, qui damnum ipse sensit, aut qui postea Dominus factus est.

CXXVIII.

Continuatur item in Heredes & Successores.

CXXIX.

Et Hereditatem; Nam & hæc Dominus est, donec quis adeat.

CXXX.

An qui Dominorum loco habentur tantum, ut sunt, Fructuarius, Usuarius, Emphyteuta, Vasallus idem juris habent, in exercenda damni actione? Dicitur Utilem illis tantum concessam esse.

CXXXI.

Bonæ fidei possessor in factum tantum experitur; Sicut & qui pignori accepit.

CXXXII.

Liber Homo quoque Utili tantum contentus est, cum membrorum, ut rei læsæ, Dominus non censeatur.

CXXXIII.

Intenditur porrò adversus omnes, qui vel immediate Corpore in corpus admiserunt, vel vi adhibitâ; & quasi manu mortis causam præbuerunt.

CXXXIV.

Si quocunque alio modo, & vel occasione damnum datum sit, subsidiariâ in factum uti permisum est.

An

218
CXXXV.

An qui iussit, aut mandavit, convenietur? Negandum puto, nisi imperandi jus habuit.

CXXXVI.

Sed nec absonum videri poterat, si utrumq; teneri posse statuamus.

CXXXVII.

Adversus heredes non datur, quia Poenalis; nam & poena dicitur; nisi aut locupletiores facti, aut lis contestata sit.

CXXXVIII.

Nec Famosa hæc est actio; cum etiam inter Conjuges permittatur.

COROLL:

Octimestris partus an Legitimus. Etiam quoad Successionis Jus? Aff;

An Sui permessa occisio? N.

F I N I S.




ULB Halle 3
003 254 984




Sb.

W017







B.I.G.

Farbkarte #13

Max. bene verat,
D. & C.

1617, 2 AF

QUILIA,

tall.
ET DA=
O,

almâ Viadrinâ

Viri, Dn.

OLENII

imo Electori

is, & Facula

ANI,

q; Jure gradu

frequentis

7. ANNI 1617.

S, NISS.SIL.

no Jurium

REICHORN.